

† Clarissimo viro Dño Johan. Molano
Rectori Bremensi amico suo
veteri & fideli.
S. D.

183

[= Men. a. 12. N. 149] Vi. 322)

Doctissime vir amice & frater mortalium omnium charissime aliquoties abs te litteras accepi,
ad quas non respondi, pro eo ac debui. Idq; factum est, partim ob laboriosa mea negotia, partim
quod a scribendo jam olim alienior sum, eaq; omnis mihi scribendi facultas perierit. Sed apud te
omnino minime mihi excusatione hac opus esse statuo, quum tu unus mortalium cognitissimam habeas
meam ruditatem & miseriam: tamen illa ipsa tua de rebus meis cognitio non potuit me (hoc tempore)
abterre, quin aliquid ad te darem, quum Cornelius tuus me certificaret de sua ad te pfectione,
& Jacobus Commelinus ad me afferret indicem pralectionum tuarum. Libenter ergo (in hac
tam exposita occasione) ad te scribo venerande amice, neque sane argumentum desiderari potest.
Sed ipsa scribendi copia me inopem facit, ut ille dicit. Scribam ergo paucis quod me omnium maxime
angit, de mutatione, sed illa animorum, quam Bremam factam audio (quod omnia nunc suggesta iterum
sonent Illyrici & Heshusij vesaniam, & majore penè impietate persequuntur veram de Cæna
Dni sententiam, atque omnes illi qui suæ rabiei hactenus immortui sunt, Et audio illos hanc tra-
gædiam fovere qui per veram Christi (de cæna sua) sententiam creverunt & inclaruerunt antea,
quam ego indignitate sentire possum, exprimere non possum. Et præter communem civitatis calamitatem
in primis mihi dolet tua, quod tuis fidelissimis laboribus tam indignis modis oppedatur, & omnis
noster (antea exauclatus, labor) tam petulanter excutiatur. Miseram Bremam, quæ Tyramide
mutavit quidem, sed non excussit. Sperabam aliquam saltem nostri rationem habendam, qui
tam indignis modis exhibitati sumus, sed oblitus est pincerna interpretis sui, posteaquam restitutus
est in locum suum pristinum. Quid opus fuerat totam civitatem in talem adducere angustiam &
paupertatem, si nihil aliud agebatur? Sed sunt hæc periculosa illa postremi temporis fata,
ut verò nobis dicere liceat cum Propheta, patres nostri comederunt uvam acerbam, &
filiorum dentes obstupuerunt. Ego me in Christo una consolor senecta, q̄ brevi me hisce
calamitatibus eximet, aliqui cordis dolore ante tempus periturum, neque enim diutius hanc
lamienam pferre poterò. Oro autem te mi dilectissime mortalium, ut constanter & infracto
animo mecum diem expectes, qui nos in perpetuam felicitatem hinc transferet, & cælestib.
agminibus sociabit. Spero te brevius ad nos venturum. Utinam bene sit optimo viro
patrono nostro Dño Herberto à Lauger, cui uni omnia (post DEVM) debeo. Raptim
Embæ 26 Aprilis, anno. 1568.

Albertus Hardenbergus.

 268